

Princeps Anhaltinus, sacrorum dogmatum notitia, cum emendatae religionis Lutheranae defensione, consilio nunquam satis praedicando, coniuncta, & publicis scriptis (7), quae *Ioannes Fechtius* (8), idoneus sane iudex, *inaestimabilia divini ingenii monumenta* recte appellat, demonstrata. Vestrum iudicium, Auditores, an hoc studio Theologico ad laudem valeat & gloriam? Quod si vero tam illustribus careret cultoribus, nec unquam e Principum reperti fuissent ordine, qui principem tractassent disciplinam, ea tamen sua sese praestantia satis posset superque commendare. Unde licet omnibus bonis disciplinis, quibus nihil detractum volo, recte decernantur subsidia, *Stipendiorum* (9) nomine insignia, huic tamen eo minus sunt invidenda, quo certius est, quod reliquae ad civilem, terrestrem & mundanam, illa vero ad sanctiorem, coelestem & perpetuo duraturam mortales perducant felicitatem, quae si pereat, non poterit non vera hominum salus simul perire. Quare singularem Numinis providentiam subesse, arbitror, quod non omnia quidem, pleraque tamen, literaria Stipendia studio sacro sint consecrata, cum plerique tam pie, quam prudenter, iudicarent, quod in eodem tantum sit momenti si-

A 3

tum,

(7) His iunctim Wittenb. 1555. fol. editis praefatus est PHIL. MELAN-  
CHTHON, deque eorum auctore hoc tulit iudicium: *Hochgedachter Fürst  
GEORG durch Gottes gnaden hat Christlicher lehre ein rechten grüntlichen  
verstand in allen Artikeln gehabt, und hat dazu diese Göttliche gabe gehabt,  
dass er seinen verstand recht klar und ordentlich hat reden und schreiben  
können, und ist dazu ein grosser vleis in jm gewesen, in allen sachen, vor-  
nemlich aber Christlicher lehr grund und alle gros wichtige streit, die in Christ-  
licher Kirchen zu allen zeiten fürgefallen sind, und der rechten Lerer urteil  
zu wissen, und reine Lehr deutlich zu erkleren.*

(8) Diff. de Nobilit. Stud. Theol. §. 24.

(9) Multa de iis, ac eorum iure & privilegiis, congregavit, & varia ad eadem spectantia documenta, Saxonica praesertim, exhibuit AHASV. FRITSCHIVS in Opusc. Var. p. 547 - 603, ubi p. 560 nostrae etiam Urbis, & primo quidem loco, meminit, his usus verbis: *Inter civitates LVBECA, Ratis-  
bona, Norimberga, Vratislavia, atque aliae plures, amplissima Stipendia  
fundarunt.*